

PROPRIA
DIURNALIS

B.M.V.
AUXILIUM
CHRISTIANORUM

Duplex I cl. cum Oct. Communi

Breviario Romano

PROPRIA DIURNALIS
B.M.V. AUXILIUM CHRISTIANORUM
Duplex I cl. cum Oct. communi

Omnia de Communi Festorum B. Mariæ Virg., præter ea quæ hic habentur propria.

AD I VESPERAS

Hymnus

Sæpe dum Christi pópulus
cruéntis
Hostis infénsi premerétur armis,
Venit adiútrix pia Virgo cælo
Lapsa seréno.

Prisca sic patrum monuménta
narrant,
Templa testántur spóliis opímis
Clara, votivo repetita cultu
Festa quotánnis.

En novi grates líceat Maríæ
Cántici lætis módulus reférre
Pro novis donis, resonánte plausu
Urbis et Orbis.

O dies felix, memoránda fastis,
Qua Petri Sedes fídei magístrum
Triste post lustrum réducem
beáta
Sorte recépit!

Vírgenes castæ, puerique puri
Géstiens clerus, populúsque grato
Corde Retínæ celebráre cæli
Múnera certent.

Vírginum Virgo, benedícta Iesu
Mater, hæc auge bona: fac
precámur,
Ut gregem Pastor Pius ad salútis
Pásqua ducat.

Te per ætérmos venerémur annos,
Tríntitas, summo celebránda
plausu :
Te fide mentes, resonóque linguæ
Cármine laudent.
Amen.

¶. Dignáre me laudáre te, Virgo
sacráta, allelúaia. ¶. Da mihi
virtútem contra hostes tuos,
allelúaia.

Ad Magnif. Ant. Ecce,
María erat spes nostra, ad quam
confúgimus in auxílium, ut
liberáret nos, et venit in
adiutórum nobis, allelúaia.

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus,
qui ad defensiónem pópuli
christiáni in beatíssima Vírgine
María perpétuum auxílium
mirabíliter constituísti : concéde
propítios ut tali præsídio muníti,
certántes in vita, victóriam de
hoste maligno cónsequi valeámus
in morte. Per Dóminum.

Ad Laudes

Hymnus

Te Redemptoris Dominique
nostri

Dicimus Matrem, speciosa Virgo,
Christianorum decus, et levamen
Rebus in arctis.

Sæviant portæ licet inferorum,
Hostis antiquus fremat, et
minaces,

Ut Deo sacrum populetur agmen,
Suscitet iras.

Nil truces possunt furiæ nocere
Mentibus castis, prece quas
vocata

Annuens Virgo fovet, et superno
Rôbore firmat.

Tanta si nobis faveat Patróna
Béllici cessat sceleris tumultus,
Mille sternuntur, fugiuntve
turmæ
Mille cohórtēs.

Tollit ut sancta caput in Síone
Turris, arx firmo fabricata muro,
Cívitas David, clýpeis, et acri
Militē tuta.

Virgo sic fortis Dómini potenti
Déxtera, cæli cumulata donis,
A piis longe fámulis repellit
Dáemonis ictus.

Te per æternos veneremur annos,
Trinitas, summo celebranda

plausu :

Te fide mentes, resonoque linguæ
Cármine laudent.

Amen.

*¶. Diffusa est grátia in lábiis tuis,
allelúia. **R.** Propterea benedíxit te
Deus in ætérnum.*

Ad Bened. Ant. Ad te, o
sancta Dei Génitrix, clamávimus,
et per te venit Dómini auxílium
nobis, allelúia.

Oratio

Omnípotens et misericors Deus,
qui ad defensiónem populi
christiáni in beatíssima Vírgine
María perpétuum auxílium
mirabiliter constituísti : concéde
propítios ut tali præsídio muníti,
certantes in vita, victóriam de
hoste malígno cóseque valeámus
in morte. Per Dóminum.

In II Vesperis

Omnia ut in I Vesperis.

Ad Magnif. Ant. Sancta María,
succurre misericors, iuva
pusillánimes, réfove flébiles, ora
pro populo, intéreni pro clero,
intercéde pro devoto femíneo
sexu ; séntiant omnes tuum
iuvámen, quicunque tuum
sanctum implórant auxílium,
allelúia.